



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. De executione Rescripti impetrati ad absolvendum
excommunicatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nominasset Pontifex, cui beneficium conferti vellet, cum hæc collatio non jam libera, sed necessaria videretur, cujus executio, vacante sede, penes Capitulum est) præsertim si tempore præsentationis litteratum novus Episcopus electus jam sit, & confirmatus, cum Capitulum post confirmationem Novi Episcopi, Episcopalia negotia exercere non possit *c. eam te. 7. h. t.* neque possit præjudicare successori, circa beneficium ad liberam illius solius collationem perti- nens, juxta relatum *c. unicum in 6. c. c. 2. eodem in antiquis.*

§. IV.

De executione Rescripti impetrati ad absolvendum Excommunicatum.

Rescriptum impetratum, ad absol- vendum excommunicatum, qui, servatâ formâ Concilii Lateranensis (non præmissa scil. monitione Canonica, & si- ne causa rationabili, ac manifestâ *c. sacro 48. de sentent. Exco.*) Excommunica- tum se fuisse apud Pontificem, simplici querelâ, conquestus fuit, exequi quidem debet Excommunicator (regu- lariter enim ejusdem est solvere, cujus est ligare) si ita se habeat res, prout apud Pontificem excommunicatus conque- stus est, non exacto prius juramento, aut cautione præstita de parendo mandatis Ecclesiæ; Si tamen excommunicator pa- tere nolit, judices alii delegati deputari debent, qui mandatum præstitâ prius cautione de parendo mandatis, & cog- nitâ causâ, exequantur, ac excommu- nicatum absolvant *c. ab excommunicato. 41. h. t.* (nisi periculum in mora sit, vel

notoriè injusta sit excommunicatio, in his enim casibus potest Metropolitanus statim excommunicatum absolvere, aut declarare, quod ligatus non sit, *c. ad re- primendam 8. de officio judicis ordinarii*) & excommunicatorem punire, juxta re- latum *c. sacro.*

§. V.

De aliis quibusdam observandis circa executionem Rescriptorum.

I. **J**udex delegatus ad lites à sede Apo- stolicâ, nullum munus à partibus litigantibus accipere potest, præter escu- lenta & poculenta (& hæc quidem ex me- ra liberalitate oblata, ita ut nec directè, nec indirectè, nec expressè, nec tacitè petita sint; & quæ possint intra paucos dies juxta prudentis arbitrium, & specta- tis aliis circumstantiis personæ dantis, ac recipientis, & rei, quæ offertur &c. ab- sumi) nisi necessarium sit, propter cau- sam sibi commissam extra domicilium su- um excurrere, ubi moderatas expensas à partibus accipere illis conceditur juxta *c. statutum 11. §. insuper h. t. in 6.* Sicuti enim vult Pontifex, ut cum omni purita- te judicium coram delegato suo procedat, ita nec urbanitari circa esculenta & poculenta præjudicare vult, nec damnum aliquod pati delegatum ob commissio- nem sibi factam. Quin etiam in hoc ipso *c.* non vult Pontifex, ut judex à se dele- gatus, assessorem, sive consiliarium ad causæ sibi commissæ decisionem adhibeat, nisi necessitas aliqua, aut judicis dele- gati impericia urgeat (ita quidem consu- lens sumptibus partibus litigantium, ut tamen illis etiam per negligentiam, aut aliud rationabile judicis delegati impedi- mentum,